



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum  
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata vt  
Sacramento, & vt sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &  
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-vnctione, & demum de Ordinis  
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

De qualitate patrimonij, seu pensionis pro necessaria sustentatione  
ordinandorum requisiti. 12 [i.e. 11]

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

mutationem fieri: quia sub resignatione permutatio concinetur, ut docet Rebuff. *super reg. de infirmis resignantibus*, gloss. 4. num. 1. & 3. Et præterea beneficium in permutacione subrogatum, cum ad illius titulum non sis promotus, non erit vinculum, sicuti erat beneficium, ad cuius titulum promotus fuisti. Debes ergo ob hanc causam prædictam facere mentionem. Atque ita docent Stephan. Gratian. *discept. forens. c. 159. n. 7.* Gonzalez *regul. 8. Cancellar. gloss. 5. §. 10. à n. 43.* Garcia 2. *p. de benef. cap. 5. num. 218.* Barbola *allegat. 19. num. 43.* Quapropter maxime dubito de decisioe sacre Congregationis, relata à Gratiano, & Barbola *suprà*; & in *remiss. Concil. in qua affirmatur*, permutantem beneficium, nulla facta mentione, quod ad illius titulum promotus fuerit, tum esse in conscientia, si beneficium obtentum fuerit omnino æquivalens priori.

12. Quod si beneficium resignaueris, non facta mentione, te ad illius titulum fuisse ordinatum, cum resignatio nulla fuerit, non vacat tibi beneficium: quia nullibi hæc vacatio cauta est, ut tradit Zabellos *in commun. opin. quæst. 561. n. 22.* Gonzal. *in reg. Cancellar. gloss. 5. §. 10. num. 36.* Barbola *alleg. 19. à num. 34.* Quod intelligendum est calu, quo habeas, unde vivere possis: quia tunc non censetur ita grauiter delinquere. At, si cærens sustentatione resignationem feceris, & sic fuerit ab Ordinario admissa, beneficium tibi vacat, & providendum est à Pontifice, vel à Superioribus Ordinarij admittentis resignationem, iuxta Constitutionem 42. Pij V. datam 6. Idus Augusti 1567. Ordinarius autem prædictam resignationem admittens suspenditur à collatione beneficiorum, & tibi alimenta præstare debet, ut constat ex dicta Constitutione Pij V. & expressius ex Constitutione eiusdem Pontificis incipiente, *Quanta Ecclesie Dei*. Data Kalendis Aprilis, anno 1568. & est 78. in ordine Bullarj. Atque ita tradunt ex sacra Congregatione decilium, Flamin. *lib. 2. de resignat. q. 6. n. 41. & 42.* Garcia 2. *p. cap. 5. n. 218.* Qui aduertunt, in Curia Romana non admitti resignationes, nisi sub clausula, quod aliunde habeat resignans, ex quo vivere possit.

13. Poterit non solum beneficium, ad cuius titulum promotus fuisti, nequis resignare, nisi sub duplici prædicta conditione; sed neque fructus illius hypothecare, aut obligare: quia prohibitus alienare, & hypothecare, & obligare prohibetur: quia est virtualis quædam alienatio, argumento legis vlt. *Cod. de reb. alienand.* Quinimod nec in subsidium aliorum bonorum in causam iudicari prædicti fructus, si egeas, capi possunt: quia non obligaris soluere, nisi quatenus de congrua sustentatione tibi superest, argumento leg. *Miles ff. de re iudicata*; & pluitibus firmat Barbola *alleg. 19. numer. 48. & 49.*

## P V N C T V M X I.

De qualitate patrimonij, seu Pensionis, pro necessaria sustentatione ordinando-rum requisita.

1. *Qui possent ad titulum beneficij, vel patrimonij ordinari.*
2. *Aliqui affirmant, filium, cuius parentes diuites sunt, posse ordinari. Rectius alij negant.*
3. *Potest filius patrem constringere, ut patrimonium ad Ordines designet.*
4. *Prædicta donatio filio facta reuocari, à patre non potest.*
5. *Negant plures, computandam esse in legitimam.*
6. *Rectius alij affirmant.*
7. *Satisfit oppositio rationibus.*
8. *In bonis immobilibus patrimonium constitui debet.*
9. *Census redimibilis sufficit.*
10. *Ne quis prædicta bona absque Episcopi licentia alienare, nisi habeas, unde commodè sustentari posses.*
11. *Aliud facta alienatio nulla est.*
12. *Satisfit contrariis.*
13. *Si aliunde habeas, ex quo honestè sustentari possis, poteris, nulla licentia Episcopi requisita, alienare prædicta bona, ex communi sententia.*
14. *An, si accepisti patrimonium sub conditione retrodonandi, tenearis retrodonare. Proponuntur varia sententia.*
15. *Quid tenendum.*
16. *Graviter peccat, si suscipias patrimonium sub conditione reprobata à Concilio.*
17. *Bona patrimonialia non sunt bona ecclesiastica, tamen si gaudeant privilegio fori.*

**A**D titulum patrimonij, seu pensionis, nemo ordinari, nisi Episcopus iudicauerit, necessitati, vel utilitati Ecclesie, eius ordinatione expedire; & confito, patrimonium

seu pensionem, verè ab ordinando possideri, ut dixit Trident. sess. 24. c. 2. de reformat. in fine.

2. Hinc oritur difficultas, an filius, cuius parentes sunt diuites, possit sacris initiari ex eo tantum, quod legitimam abundantem expectet? Affirmat Surdus de *alimen. tit. 7. quæst. 37. n. 2.* Mouetur: quia filio congrua sustentatio deficere non potest, cum ius habeat ex bonis paternis congruam sustentationem percipiendi. Etenim bona patris quodammodo sunt filij: ob quam causam censetur filius diues, si patrem diuitem habeat, ut tradit Alexander. *in leg. Suis ff. de lib. & post. Alciat. ibi, n. 10.* Glossa leg. 2. *Cod. Qui atate. lib. 10. & §. Hæc autem. & §. Necessarij. Inst. de hæred. qualis.* Sed rectius Flamin. *lib. 2. de resignat. q. 6. n. 28.* Vgolin. *de potest. Episc. c. 26. §. 9. n. 3.* August. Barbola *de potest. Episc. allegat. 19. n. 60.* Garcia 2. *part. de benef. c. 5. n. 91.* negant, prædictum filium in sacris promoveri posse. Quia Concilium non solum exposulat, ut ordinandus congruam sustentationem habeat ipsè quod illam habeat ex propriis. At viuentem patrem non ex propriis, sed ex alienis competit filio sustentatio. Non igitur fit satis Concilij decreto. Neque verum est, propriè loquendo bona patris esse filij, neque filium diuitem esse ex eo, quod pater diues sit: sed solum fictione iuris: Concilium autem postulat patrimonium, & pensionem, non fictè, sed verè ab ordinando obtineri. Ergo non sufficit illa patris expectatio.

3. Poterit tamen filius, qui sacris initiari intendit, constringere patrem diuitem, ut patrimonium designet ad ordines suscipiendos. Si enim pro matrimonio carnali suscipiendo obligare potest patrem, ut in dotis recompensationem constituat donationem, leg. *fi de dotis promissione*, cur non pro statu sacerdotali suscipiendo, qui est spirituale matrimonium, cum ex matrimonio carnali ad spirituale argumentari liceat. cap. *inter corporalia. de translat. Prælat. leg. Sancimus. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis.* Atque ita tradunt Santh. *lib. 4. de matrim. disp. 26. sub n. 7.* Marc. Anton. Genuen. *in practica illius ecclesiæ. q. 624.* Barbola *alleg. 19. n. 63.* Gutier. *lib. 2. practice. q. 65. n. 8.* Auendaño. *respons. 17. n. 3.*

4. Donationem autem filio factam non poterit pater reuocare, eo quod reuocatio cederet, tum in præiudicium status clericalis, tum in iniuriam Episcopi, qui sub conditione donationis firmæ, & perpetuæ ordines contulit, aliàs non collaturus. Quinimod, si ex causa suspendi ordines pater filium melioraret, non posset meliorationem reuocare, ut decidit leg. 17. Tauri, quæ nunc est lex 1. *tit. 6. lib. 5. noua compilat. & tradunt ibi Matienzo gloss. 9. n. 8.* Azevedo *leg. 10. n. 3. tit. 6. lib. 5. noua recopilat.* Cifuentes *dicta leg. 17. num. 1.* Tella, n. 81. Auendaño *respons. 17. in fine.* Couart. *cap. Raynald. de testam. §. 2. n. 7.* Barbola *dicta alleg. 19. n. 61. & 62.* Gutier. *dicta. q. 65. n. 9.* Garcia *cap. 5. n. 116.*

5. Sed, an prædicta donatio filio facta pro suscipiendis ordinibus computari debeat in legitimam, grauis est inter Doctores controversia. Negant Anton. Gomez *leg. 29. Tauri, n. 21.* vbi Tello n. 16. & Valecus & Auend. *glos. 3. num. 8.* Duches *reg. 222. nu. 3.* Azevedo *leg. 10. n. 29. & 30. tit. 6. lib. 5. compilat. noua Matienzo leg. 3. gloss. 2. nu. 14. tit. 8. eodem lib. 5. Ceuallos com. opin. q. 682.* Stephan. Gratian. *disceptat. forens. c. 159. à n. 41.* & alijs pluitibus relatis, Barbola *alleg. 19. n. 99.* Mouetur primò: quia hæc donatio non est necessaria. Non enim, inquit Matienzo *suprà n. 8.* alitrigitur pater ad patrimonium filio constituendum pro ordinibus suscipiendis; sed liber est in illius designatione. Ergo, cum patrimonium designat, non in legitimam necessariam computare debet; sed in melioratione tertij, & quinti, quam suis descendens præstare potest. Secundò, ut prædicta bona in legitimam computarentur, deberet filius posse de illis liberè disponere, ut docuit Crauet. *cons. 136. incipiente, De anno.* At de prædictis bonis nequit filius disponere: quinimod prohibitus est ea vendere, & alienare: ergo in legitimam computari non debent. Tertio, & præcipue, bona prædicta filio cõcessa sunt pro alimentis necessarijs: at ea, quæ sic conceduntur, utpote concessa ex causa necessitaria, non computantur in legitimam, ut tradunt Gama *decis. 140. n. 3. & decis. 164. & decis. 130. n. 13.* Surdus de *alimen. tit. 8. q. 57. n. 2. & tit. 9. q. 34. in pr.* Molin. *de iustit. tract. 2. disp. 308.* Valacus *tit. 1. allegat. 59. n. 10.* Quarto, donata ob causam, ob quam efficiuntur castrense, vel quasi castrense peculium, in legitimam non imputantur, arg. leg. *Si filius. C. Familia crescentia leg. 5. tit. 15. part. 6. leg. 3. tit. 4. part. 5. & pluribus exemplis exornat Matienzo lib. 3. tit. 8. lib. 5. noua recopilat. gloss. 2. à n. 3. & 11.* Sed bona collata ad ordines in titulum patrimonij, efficiuntur quasi castrensa: siquidem gaudent priuilegijs bonorum ecclesiasticorum, ut multis relatis tradit Azevedo *leg. 10. tit. 6. lib. 5. recopilat. n. 30.* Ergo, & c. Quintò, expensa factæ pro doctorando filio, in legitimam non veniunt, sicuti docent Rebuffus *de priuileg. scholar. priuileg. 55. n. 3.* Valacus *de partit. cap. 13. num. 175.* Perez *leg. 8. tit. 2. lib. 1. ordinam. & tit. 7. lib. 5. pag. 208.* Neque item veniunt, quæ conceduntur pro ingredienda militia, ut resoluunt idem Valacus *cap. 13. n. 60. & 61.* & plures alij relati à Flores de Menad. *ad Gam. decis. 140. in prinè.* Neque, quæ dantur ad consequendam dignita-

tem, vt tradit Rebuff. de priuileg. scholar. priuileg. 55. numer. 1. Neque denique, quæ pro conſequentio beneficio eccleſiaſtico conceduntur, vt docet Guierri. lib. 2. q. 99. pract. quaſt. 65. n. 10. Marc. Anton. Genuenl. in practica. eccleſiaſt. q. 657. ergo à fortiiori conceſſa pro ſuſcipiendis Ordinibus in legitimam imputari non debent.

6. Ceterum patrimonium à parte filio conceſſum pro ſuſcipiendis Ordinibus computandum eſſe in legitimam, verius eſt, prout docent Couarr. c. Raynaldus de reſtament. §. 2. n. 7. Salzedo cap. 18. n. 16. Menoch. de ſucceſſ. creat. lib. 3. §. 22. limit. 17. n. 44. Guierri. lib. 2. pract. q. 65. num. 7. Molin. de iuſtit. t. 1. tract. 2. diſp. 238. & 241. Garcia 2. p. de benef. cap. 5. n. 159. Vgolin. de poteſt. Epiſc. cap. 28. §. 9. in fine. Cenedo collect. 33. ad decret. num. 5. & alij apud ipſos. Ratio ea eſt: quia patrimonium pro ſuſcipiendis Ordinibus deſignatum in conſecutione Ordinum non conſumitur, ſed permanet pro congrua ordinandi ſuſtentatione, cum apertudine, vt ad heredes tranſmittatur, imò vt vendatur, & alienetur habita aliunde competentis ſuſtentatione: ſed bona conceſſa à parte filio, que tranſmiſſibilia ſunt, ad heredes, quæque per ſe alienabilia ſunt, in legitimam imputantur, vt decidit lex, *Omni modo, §. Imputari. C. de inſcriptio teſtamento*. Ergo hæc bona computanda ſunt in legitimam.

7. Neque oppoſitæ rationes vrgent. Ad primum nego donationem patrimonij ad Ordines neceſſariam non eſſe, patremque cogi non poſſe ad prædictum patrimonium deſignandum: ſicut enim cogi poteſt, vt patrimonium deſignet, filio, vel filia, vt matrimonium celebret, vel vt Monafterium ingreditur, ex doctrina Bart. & Baldi in leg. 1. §. Si parens. ff. Si quis à parente fuerit manuſcriptus. ſic cogi poteſt, vt patrimonium deſignet ad Ordines ſuſcipiendos: & ſicut deſignata in dote matrimonij canalis, & ſpiritualis religionis, teſtatur Bart. & Bald. computari in legitimam ex leg. *Quoniam nouella. C. de inſcriptio teſtam. eodem modo patrimonium ad Ordines computari debet. Adde, c. de deſignatio patrimonij ad Ordines ſuſcipiendos neceſſaria non fuerit parenti, neque ad illum faciendam vlla ratione cogi poſſit: at ſemel facta, & cum ſine ob cauſam neceſſariam, ſcilicet, ob ſuppeditanda alimentata ad quæ legitima deſignatur, neceſſariò in legitimam imputari debet. Ad ſecundum concedo, patrimonium donatione, aut venditione alienari non poſſe: ſed non obinde inferitur, non eſſe in legitimam imputandum: ſufficit enim, quòd ſucceſſione alienari poſſit. Nam eo ipſo, quòd fit ad heredes tranſmiſſibile, in legitimam venit, ex dicta leg. *Omni modo §. Imputari tibi: Vel certa pecunia ad eius heredes perueniat*. & tradit ex communi ſententia Menchaca de ſucceſſ. creat. §. 30. n. 20. Deinde nego patrimonium donatione, aut venditione alienari non poſſe: poteſt vtique per ſe, & abſolutè alienari; tamen per accidens, & ad tempus, ſcilicet, quouique ordinandus habeat aliunde, ex quo ſuſtinetur, alienabile non fit. Ad tertium admitto, conceſſa pro cauſa neceſſaria alimentorum computanda non eſſe in legitimam, ſi actu conſumantur: ſecus verò, ſi concedantur, vt ſima perſiſtant, & ex illorum redditibus, & fructibus alimenta proueniant: tunc enim computari debent illa bona in legitimam, ſi uſus, & redditus non computentur. Ad quartum negari poteſt, patrimonium eſſe eccleſiaſticum, priuilegiũque bonorum eccleſiaſticorum gaudere, vt negant Couarr. alijs reſatis, lib. 1. *variar. cap. 4. n. 4. Menchaca de ſucceſſ. creat. §. 22. num. 44*. Admiſſo tamen, bonorum eccleſiaſticorum priuilegijs gaudere, dicendum eſt, ad hoc computari in legitimam: quia non per ſe, ſed ex accidenti, & ad tempus illis priuilegijs gaudet. Ad quintum concedo non imputari in legitimam omnia illa, quæ in prædicto argumento referuntur: quia non conceduntur in cauſam neceſſariam, nec remanent beneficio, vel officio obtento: ſecus eſt in patrimonio ad Ordines, quòd in cauſam neceſſariam alimentorum conceditur, & conſecutione Ordinum non extinguitur.*

8. Porro, patrimonium debere eſſe conſtitutum in bonis immobilibus, firmam communiter Doctores. Nauarr. conf. 34. de temporib. ordin. Vgolin. de poteſt. Epiſc. cap. 26. §. 10. n. 1. Aloysius Riccius in praxi fori eccleſiaſt. deciſ. 315. in 1. edit. & reſp. 273. in 2. Azor. 2. tom. inſtit. moral. lib. 3. c. 4. q. 7. Barboſa alleg. 19. n. 55. Et enim conſtitutum in re mobili facile extinguitur, & conſumi poteſt: quo conſumpo, cogitur ordinatus mendicare. Vt ergo hoc vitetur periculum, in re immobili, perpetua, & fructifera conſtitui debet.

9. Hinc oritur quaſtio, an cenſus redimibilis ſufficiat ad legitimam tibi patrimonium conſtituendum? Ratio difficultatis eſt, quia redimi poteſt: qua redemptione facta, conſumi poteſt cenſus, interim dum non ſe offert occaſio denuo cenſum conſtituendi. Atque ad hoc patrimonium inſufficiens eſſe, ſentire videtur Vgolinus de poteſtate Epiſc. cap. 26. §. 10. num. 2. & §. 12. num. 3. Bonac. diſp. 8. de Sacram. quaſt. vnic. p. 5. num. 32. Sed dicendum eſt, ſupradictum cenſum luſſicere ad patrimonium: cautione tamen adhibita, vt ſi redemptio fiat, deponatur pecunia ex Iudicis decreto apud idoneas perſonas, & iterum cenſus conſtituatur: ſi enim hoc eſt ſufficiens pro

conſtitutione vinculi, & maioratus perpetui, vt tradit Molina de Hiſpan. primogen. lib. 2. cap. 10. n. 6. cur non ſufficiat pro titulo ad ordines requiſito? Illa enim cautione periculum extinctionis vitatur. Et licet illo tempore, dum pecunia deſcripta eſt, nec ſe offert occaſio cenſum conſtituendi, non poſſit ordinatus ex ea alimenta ſuſcipere, non obinde cenſendus eſt inſufficiens titulus eſſe cenſus conſtitutus: quia illud tempus, moraliter loquendo, breue eſſe ſolet, ac proinde in conſiderationem non venit, idè obique reputatur cenſus perpetuus, ac ſi redemptio non contigiffet. Atque ita docet, plures referens, Nicol. Garcia 2. p. de benef. c. 5. n. 95. Flamin. Parif. lib. 2. de reſignat. quaſt. 6. n. 15.

10. Rurſus prædicta bona, ad cuius titulum promotus eſt, nequis abſque licentia Epiſc. alienare, extingueret, aut remitteret, donec beneficium eccleſiaſticum ſufficiens ſis adopus vel aliunde habeas, vnde viuere poſſis, vt expreſſè tradit Concil. diſta ſeſſ. cap. 2. in fine. Quare poſt ſubſecutam ordinationem nequis patrimonium vendere: quia eſto, pretium loco rei vendita ſuccedat, negari non poteſt, venditione rem alienari, remitti, & extingui. Deinde pretium, vt pote res mobilis, facile conſumitur. Non igitur poteſt integrè loco patrimonij immobilis ſubrogari. Atque ita docuit Barboſa alleg. 19. n. 78. Neque potes prædictum patrimonium permutare: quia permutatio eſt quædam alienatio, vt multis comprobant, Tiracuellas de retractu lignag. §. 1. gloſſ. 14. numer. 30. Caldas Pericra de empt. cap. 8. numer. 26. & 27. & docent in præſenti Stephanus Gratianus diſcept. for. cap. 159. num. 3. Garcia 1. part. de benef. cap. 5. numer. 216. Bonac. diſp. 8. de Sacram. quaſt. vnic. p. 5. numer. 41. Barboſa alleg. 19. numer. 38. Neque potes hypothecare, aut obligare, quia obligatio, & hypotheca eſt quam rei hypothecata, & obligata alienatio, remiſſio, & extinctio, vt ex leg. vlt. Cod. de rebus alienis non alienand. comprobatur Pinel. in leg. 1. Cod. de bonis maternis part. 3. numer. 19. Barboſa in leg. 1. ſoluto matrim. part. 3. num. 39. Rebel. de obligat. iuſtit. 2. p. lib. 6. quaſt. 3. n. 15. & tradit de hac hypotheca Aloyſ. Riccius in deciſ. Curie Neapolitana, deciſ. 212. part. 2. Auguſt. Barboſa d. allegat. 19. num. 85. vbi numer. 80. & ſeqq. extendit, & bene, hanc prohibitionem, vt procedat in tranſactione, diuiſione, datione in ſolutum: quia hæc omnia alienationes reputantur.

11. Quod ſi abſque Epiſc. licentia patrimonium vendas, permutes, obliges, aut aliquomodo alienes, antequam habeas, vnde viuere poſſis, nulla eſt talis alienatio, vt colligitur ex Trident. prohibente prædictam alienationem ſub verbo, *nullatenus*, quod tollit potentiam alienandi, & reddit actum nullum ex Gloſſa in Clem. verbo, *Nullatenus*, de ſequeſtrat. poſſeſſ. & in Auth. *Si qua mulier*, verbo, *Nullatenus*, C. ad Senatus conſult. *Velleianum*, & ex verbo, *Non poſſit*, quod etiã inducit nullitatem, vt pote quod omnem potentiam ad actum referat, teſte Bart. leg. *Cum lex*, num. 9. & 7. ff. de fideiſſorib. Iafon. leg. *Frater à fratre*, num. 44. verſ. *Tertia difficultas*, ff. de condiſt. indeb. & pluribus alijs exornat Sanch. lib. 6. de matrim. diſput. 38. n. 20. & tradunt in præſenti Nauarr. conf. 17. aliã 27. de temporib. ordinat. Flamin. lib. 2. de reſignat. quaſt. 5. num. 1. & 35. Barboſa alleg. 19. num. 77. Sanch. lib. 6. de matrim. diſput. 32. numer. 7. in fine. Auila 3. p. diſput. 5. dub. 5. concl. 2. Garcia pluribus reſatis 2. p. cap. 5. num. 177. Mol. de reſtit. tract. 2. diſput. 238. ad finem.

12. Contrarium huius doctrinæ defendunt Suarez 2. 5. de cenſur. diſput. 51. ſect. 1. num. 38. Petr. de Ledelm. de Sacram. Ordinis cap. 7. concl. 6. difficult. 1. exiſtantes, validam eſſe alienationem patrimonij factam abſque licentia Epiſc. ab eo, qui non habet aliunde, ex quo ſuſtentari poſſit, quia Concilium (inquit) ſolum hanc alienationem prohibuit; ſed factam non irritauit: ſicuti fecit in alienatione beneficij, quam ſine licentia Epiſc. factam irritam eſſe decreuit. Cum ergo in alienatione patrimonij, & penſionis hoc decretum irritans non addiderit, indicalle videtur, validam fore, ſi de facto fiat. Sed hæc parui momenti ſunt, vt à communi ſententia recedamus. Nam eſto, Concilium in alienatione patrimonij, & penſionis non appoſuerit expreſſè clauſulam irritantem; appoſuit tamen illam virtualiter ſub illo aduerbio, *Nullatenus* iuncto verbo, *poſſit*, quod omnem potentiam tollit, & actum contra factum irritat, & annullat.

13. Verum, ſi beneficium ſufficiens obrineas, vel aliunde habeas, vnde commodè viuas, poteris patrimonium, vel penſionem alienare? Aliqui exiſtunt, ad hanc alienationem tibi opus eſſe Epiſc. licentia, ne illa verba ſine Epiſc. licentia appoſita à Concilio ſuperflua ſint. Quippe licentia Epiſc. exigi non poteſt, cum cares victu neceſſario: quia tunc concedi non debet: ergo ſolum poteſt exigi, quando victus neceſſarius tibi ſuppedit: quia tunc, & non aliter, eſt licentia concedenda. Et ita tradunt Quinana Dueñas eccleſiaſt. lib. 3. n. 72. Cenedo pract. & canon. q. 11. Vgolin. de poteſt. Epiſc. c. 26. §. 13. n. 4. Campanil. in diuerſorio iuris canon. rub. 2. cap. vlt. n. 9. Auguſt. Barboſa alleg. 19. num. 90. Sed communior, veriòrque ſententia eſt, tibi opus non eſſe licentia Epiſc. vt tradunt Flamin. Paxillus lib. 2. de reſignat. quaſt. 6. num. 16.

num. 16. Cenal. *commun. quest.* 527. num. 8. & *quest.* 561. num. 22. & 10. Garcia 2. p. de *benefic.* cap. 5. num. 186. Stephan. Gratian. *discept. forens.* cap. 159. num. 14. Azor. 2. p. *instit. mor. lib. 3. cap. 4. q. 3.* Etenim Concil. solum tibi prohibet alienationem patrimonij, vel pensionis, donec habeas beneficium sufficiens, vel vnde commodè viuas. Ergo obtento beneficio sufficienti, vel aliàs congrua sustentatione, cessat alienationis prohibitio. Dicitio enim illa, donec, est limitatiua temporis, vt tradit Cardinal. in *Clem. 2. §. 1. de arate. & qualit.* Challan. in *consuet. Burgundia.* rub. 6. §. 6. num. 8. Menoch. *conf.* 151. num. 49. & *conf.* 186. num. 11. Bertach. de *claus. instrum. cl. 15. gloss. 4. num. 1. verb. Donec.* ac proinde limitare debet prohibitionem alienationis, ne vltra procedat, quàm quousque beneficium sufficiens habeas, vel vnde commodè viuas. Neque ratio in contrarium vrger. Verba enim illa, sine licentia Episcopi, necessaria sunt quia, vt bene aduertit Garcia 2. p. de *benefic.* cap. 5. num. 188. plures casus occurrere possunt, in quibus expediat, alienationem patrimonij fieri, tametsi nec beneficium, nec victum habeas: v. g. si tu, vel tui parentes captiui existerent, expediret in eorum redemptionem patrimonium alienare. Item, si tuus pater, vel frater esset ob delictum puniendus; neque pars cessaret ab accusatione, nisi data pecunia; porteret in eum finem patrimonium distrahere. Vt ergo in his euentibus alienatio prudenter fiat, cautum est sub decreto irritante, ne fiat absque licentia Episcopi. Qua licentia concessa, Episcopus non obligatur ad sustentandum: quia in concessione huius licentia nullam culpam committit. Secus esset, si absque vrgenti causa alienationem permitteret: quia eo casu in culpa est. Alienatio autem facta, valida persistit, sicuti notauit Garcia dicta 2. p. de *benefic.* cap. 5. num. 190. Episcopus potens hanc facultatem, & licentiam concedere, est Episcopus domicilij, vel loci, vbi patrimonium situm est, vel originis, sicuti ad ordines, v docuit Garcia dicto numer. 190. Anton. Gomez *lib. 2. var. c. 147. num. 17.*

14. Sed, quid, si accepisti patrimonium ad ordines sub pacto, & conditione, vt donanti reddas, vel eo non vtraris, an tenearis hanc conditionem implere, tametsi nec beneficium, neque aliud habeas, vnde viuas? Nauarr. *cap. 27. num. 158. & conf. 16. de temporib. ordinar.* Henric. *lib. de excommunicat. cap. 37. num. 2.* Angulo *leg. de las maioras. gloss. 4. num. 9. aliàs gloss. 10. num. 5.* Rodrig. 2. *com. sum. cap. 15. num. 2.* Tolet. *lib. 1. cap. 48. vers. 5.* existimant, susceptis Ordinibus nec posse, nec valere retrodonationem: tum, quia est in præiudicium Episcopi & Ecclesie: tum, quia est à Concilio prædicta retrodonatio sub decreto irritante prohibita. Alij de contra censent, in hoc casu valere retrodonationem, imò te obligatum esse in conscientia retrodonare, postquam admiseris sub ea conditione donationem. Sic Auila 3. p. de *consur. disput. 5. dub. 5. concl. 3.* Suarez t. 5. de *consur. disput. 31. sect. 1. numer. 57.* multis relatis, Sanchez *lib. 6. de matrim. disput. 32. numer. 8.* Mouentur: quia illa donatio non fuit absoluta; sed sub conditione retrodonandi: debes ergo retrodonare, aliàs donatio prius facta corrumpitur: non enim dominium rei donatæ acquirere potes, nisi pro voluntate donantis. Cùm ergo voluntas donantis non fuerit tibi dominium perpetuum concedere, sed solum, quousque Ordines recipias, res donata donanti deuoluitur.

15. Ceterum, tripliciter tibi prædictum patrimonium sicutum donari potest. Primò, verbo tenus, absque intentione donandi vel sub pacto, & conditione, ne donatum petas, neve illo vtraris: quod idem est: quia hoc pactum donationem excludit. Secundo, sub intentione donandi; sed non absolute; sed pro limitato tempore, quod non est, propriè donatum; sed commodatum. Tertiò, si tibi absolute doneat, ita, vt in tui dominium & potestatem patrimonium transeat, sub onere tamen, & obligatione, vt receptis Ordinibus donanti reddas. Si primo, & secundo modo patrimonium donatum sit, placet mihi secunda sententia, fieri debere, & valere retrodonationem; imò existimo, tibi non esse retrodonationem cum nihil fuerit absolute donatum, sed ad summum accomodatam pro aliquo tempore: quo finito deuolutio fit ad priorem dominum, sicuti notauit Quins. *Ducias lib. 3. cels. cap. 69. At, si tertio modo facta fuerit donatio, & conditio retrodonandi implenda erat post ordinem susceptum, credo, nullam tibi esse obligationem in conscientia retrodonandi; sed absque vilo scrupulo posse donationem facta vti. Ratio est: quia ea conditio, vtpote turpis, & contra legem, inualida est, & excluditur à donatione, ac si apposita non esset. Etenim decreto Trident. *sess. 21. cap. 2. de reformat.* impeditur esse patrimonium, ad cuius titulum promoueris, alienare absque licentia Episcopi, donec habeas beneficium sufficiens, vel vnde commodè viuas. Sed illa retrodonatio est perfecta alienatio: ergo ad ipsam nullatenus obligari poteris, sicut bene probat Garcia 2. p. de *benefic.* cap. 5. numer. 163. & *leg. Pactum, qua. Cod. de pactis.* & cap. *Diaconi. 28. dist. & cap. Secundo. 10. quest. 1.* & facit cap. *Cùm M. Ferrariensis. de consur.* vbi in irritum reuocatur, quicquid in præiudicium alienus est attentatum. In præfati autem hæc retrodonatio*

attentatur in præiudicium Episcopi, & Ordinis clericalis: ergo nullius effectus debet esse, eaque de causa etiam Doctores opposita sententia concedunt, teste Garcia 2. p. de *benefic.* cap. 5. num. 152. in foro exteriori rescindendum fore retrodonationem in penam donatoris intendenti decipere Ecclesiam, & Episcopum.

16. Illud verò omninò est certum, te graniter peccaturum, tum suscipientem patrimonium sub conditione reprobata à Concilio, tum suscipientem Ordines sub hoc titulo ita dubio. Secus esset, si tibi daretur patrimonium sub obligatione reddendi, cum beneficium sufficiens fueris adeptus, vel aliunde habeas, vnde viuas: quia eo casu nulla tibi obligatio imponitur iuri aduersa: siquidem beneficio sufficienti adeptus, vel contra sustentatione aliunde habita, patrimonium alienare potes: & notauit Garcia dicto c. 5. n. 169. Barbo. *alleg. 20. n. 31.*

17. Ad extremum aduerto, bona patrimonialia, ad quorum titulum ordinatus es, non obinde fieri bona ecclesiastica; tametsi privilegio fori bonorum ecclesiasticorum gaudeant, aliàs alienari non possent ex sola Episcopi licentia vti, permittitur in Trident. sed necessaria esset solemnitas à iure requisita in alienatione bonorum ecclesiasticorum, de qua in cap. *Sine excoptione. 52. 12. quest. & cap. Nulli 5. de rebus Ecclesie non alienandis.* Gaudent autem privilegio fori, non quia ecclesiastica sunt; sed, quia sunt bona personæ ecclesiasticæ. Vide Stephan. Gratianum *disceptat. forens. cap. 159. num. 27.* Menoch. de *recuperand. possess. rem. 15. numer. 21.* Cenallos *commun. quest. 527. Cenedo practic. quest. lib. 1. quest. 11. à numer. 5.*

## PUNCTVM XII.

Quas pœnas incurrat promouens ad Ordines absque titulo sufficienti, & ipse promotus.

1. Promouens obligationem suscipit alendi promotum. Excipit, nisi patrem diuitem habeat.
2. Si autem preceperit pactum de non petenda sustentatione, triennio à collatione Ordinum suspenditur.
3. Quid de ordinato statutum à iure sit.
4. Si absque titulo promotus sit, idque constitit ordinanti, suspenditur eo.
5. Si tu falsis informationibus titulum sufficientem probasti, cum tamen non haberes, graues Doctores te suspensioni esse affirmant.
6. Probabilis censio opposita.
7. Proponitur obiectio ex Trident.
8. Vti illi satis.
9. Soluuntur fundamenta n. 5. adducta.
10. Si sub patrimonio accepto sub conditione reddendi ordinatus sis, certius est non incurere suspensionem.
11. Quid dicendum spectata Constitutione Urbani VIII.

1. Aduersus promotum ad Ordines absque titulo, si in culpa sit, statuitur in cap. *Episcopos.* cap. *Cum secundum Apostolum de præbendis.* obligatio prouidendi ordinato de beneficio sufficienti, & interim omnia necessaria subministrandi. Quod aliqui, vt Flamin. *lib. 2. de rescriptis. quest. 6. numer. 28.* extendunt etiam si ordinatus patrem habeat diuitem. Sed rectius contrarium docuit Barbo. *de potest. Episc. alleg. 20. numer. 4.* quia prædictus ordinatus absolute non eget, cum iure naturali alimenta à parente debeant ei subministrari, leg. *Cùm oportet. §. Cùm autem. Cod. de beneis, qua liberis.* leg. *Si quis à liberis agnoscendis.* Non igitur bona Ecclesie debent ei subministrari, quæ solum in subsidium pauperum, & egenorum conceduntur, iuxta textum in cap. *Clericos. 1. quest. 2. & cap. vlt. 16. quest. 1.*

2. Si tamen sic promotus cum promotum conuenit ipsum post susceptos Ordines non molestatur super beneficio, & alimentis debitis à collatione Ordinum triennio suspenditur, cap. *penult. de simonia.*

3. De ordinato autem absque beneficio, vel patrimonio sufficiente, statutum fuerit in cap. *Nominem cap. Sanctorum. 70. dist. irritam fore ordinationem:* quod intelligendum est quoad exercitium. Postmodum verò Innocent. III. in cap. *Cum secundum Apostolum de præbendis,* inquit: *Licet prædecessores nostri ordinationes eorum, qui sine certo titulo promouerentur: in iniuriam ordinantium irritas esse voluerint, & inanis nos tamen benignitas agere cupientes, tandiu per ordinatores, vel eorum successores prouidere volumus ordinatis, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur.* Idemque habetur in cap. *Si Episcopus. eodem tit. in 6.* Quapropter ex vi prædictorum textuum, si ordinatus manifestat ordinatori, se beneficio vel patrimonio carere; nullam pœnam ordinatus incurrit: quia pœna